



Alia Oratio S. Bonaventuræ.

Transfige, dulcissime Domine Jesu, medullas & viscera animæ meæ suavissimo ac saluberrimo amoris tui vulnere; vera, serenaque & Apostolica sanctissima charitate, ut langueat & liquefiat anima mea solo semper amore & desiderio tui, te concupiscat, & deficiat in atria tua, cupiat dissolvi, & esse tecum. Da, ut anima mea te esuriat, panem Angelorum, refectionem animarum sanctarum, panem nostrum quotidianum, supersubstantialem, habentem omnem dulcedinem & saporem, & omne delectamentum suavitatis: te, in quem desiderant Angeli prospicere, semper esuriat & comedat cor meum, & dulcedine saporis tui repleantur viscera animæ meæ: te semper sitiat fontem vitæ, fontem sapientiæ & scientiæ, fontem æterni luminis, torrentem voluptatis, ubertatem domus Dei: te semper ambiat, te quærat, te inveniat, ad te tendat, ad te perveniat, te meditetur, te loquatur, & omnia operetur in laudem & gloriam nominis tui, cum humilitate & discretione, cum dilectione & delectatione, cum facilitate & affectu, cum perseverantia usque in finem: & tu sis solus semper spes mea, tota fiducia mea, divitiæ meæ, delectatio mea, jucunditas mea, gaudium meum, quies & tranquillitas mea, pax mea, suavitas mea, odor meus, dulcedo mea, cibus meus, refectio mea, refugium meum, auxilium

meum, sapientia mea, portio mea, possessio mea, thesaurus meus, in quo fixa & firma & immobiliter semper sit radicata mens mea, & cor meum. Amen.

Rythmus S. Thomæ ad sacram Eucharistiam.

ADoro te devotè, latens Deitas,
Quæ sub his figuris verè latitas,
Tibi se cor meum totum subjicit:
Quia te contemplans, totum deficit.
Visus, tactus, gustus in te fallitur,
Sed auditu solo tutò creditur.
Credo quidquid dixit Dei Filius,
Nil hoc verbo veritatis verius.
In cruce latebat sola Deitas,
At hîc latet simul & humanitas.
Ambo tamen credens atque confitens,
Peto quod petivit latro pœnitens,
Plagas, sicut Thomas, non intueor,
Deum tamen meum te confiteor.
Fac me tibi semper magis credere,
In te spem habere, te diligere.
O memoriale mortis Domini,
Panis vivus, vitam præstans homini!
Præsta meæ menti de te vivere,
Et te illi semper dulcè sapere.
Pie pellicane Jesu Domine,
Me immundum munda tuo sanguine:
Cujus una stilla saluum facere
Totum mundum quit ab omni scelere.
Jesu, quem velatum nunc aspicio,
Oro fiat illud, quod tam sitio,
Ut te revelata cernens facie,
Visu sim beatus tuæ gloriæ.
Amen.